



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 5. Malitia simulantium pietatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

fruuntur; vbi raptor arcas expilat, tortor-
instrumenta ſæuitiæ explicat, ad primum
impetū expalleſcunt, & concidunt. Petrum
ancillulæ vox poſt magnificas pollicitatio-
nes exanimauit. In tranquillo bene nauigant;
cū procella incubuit, brachia remittunt,
clauum deſerunt: ſic tota ſtructura virtutum
corruiſit. Vidua eſt virtus, quam nulla
perſeuerantia firmat. Perſecutio igitur eſt
conſtantiæ exercitium, leuitatis redargutio.
Tot millibus Martyrum ceſſere tortores,
millia quoque lapſorum tortoribus ſuccubuere.
Discrimen Chriſtianorum perſecutio oſtendit;
ignauum militem à ſtrenuo acies diſcernit.
Inter ligna ſiluarum alia ſub dio putreſcunt,
alia in laquearibus regum inaurantur,
aſcia & dolabra probata perficiunt,
reijcula vligo conſumit. Hi quidem non
ſingunt, neque falſa eſt, aut fucata eorum
pietas; ob inconstantiam tamen fallunt,
& falluntur, nam poſt optimum florem
deſinunt in fungum. Neque refert ex
quo vino vappa fiat. Si vappa eſt, ſine
honore eſt; neque laudatur, quidquid fugit.

§. V.

Malitia ſimulantium pietatem.

Quamquam omnino peior eſt ignominiaq;

S. Chryf.
in cap. 7.
Matth.
hom. 19.

S. Basilius
hom. 1.

niaq; dignior, qui religionem simulauit,
quàm qui amisit. Quia *nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatum bonum; nam manifestum malum quasi malum fugitur, & cauetur; malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cauetur; sed quasi bonum suscipitur. Sic serui diaboli tunc pessimè Christianitatem corrumpunt, quando se simulant Christianos. In adagio est. Malus ubi se bonum simulat, tunc est pessimus. Intus Nero, foris Cato, totus ambiguus, monstrum est, velut quædam bestia ex hirco & ceruo compacta. Quapropter etiam Hypocrita id est, histrio vocatur is, qui in theatro alienam faciem sumit, ut seruus existens, sapenumero Domini, & priuatus regis: sic & in hac vita ad suos mores orchestras atque theatrum, exercentur, qui alia corde gerentes, alia extrinsecus hominibus præ se ferunt. Ob quod mendaciū fallaciamque non solūm coram toto mundo, in die nouissimo pudefient; sed etiam in hac vita plerumque deprehensi, tantò vehementiùs erubescunt, quantò diutiùs docti- usque hominum oculos deceperunt. Vxo- rem quidam duxerat, & forma captus, & vestium fragrantia; quam deinde tantò pe- iùs odit, quia comperit, eam moscho ac pe-
regriais*

regrinis odoribus vsam, quòd illi anima fœ-
 teret; ne autem rugæ, & luror apparerent,
 fucum fecisse. Ita fœdiùs sordent, quos in-
 telligimus pietatis specie turpitudinem con-
 diuisse; aut criminum suorum maculas sti-
 bio virtutum pinxisse. Bellè S. Gregorius
 Nazianzenus hypocritam comparat mere-
 trici, *qua sicut cùm nativa pulchritudine desti-
 tuta est, ad colores, pigmenta, & fucos, confu-
 gere solet; ita hypocrita, cùm specie solida perfe-
 ctâq; virtutis careat, adumbrationem quamdã
 pietatis externam simulat, qua eorum oculos
 retinet, qui adumbrata virtutis simulatione ca-
 piuntur. Fucata nemo amat. Cùm vestieris
 te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, &
 pinxeris sibi oculos tuos, frustra componeris;
 contempserunt te amatores tui, animam tuam
 quarent. Ad reliqua flagitia Iezabel accessit,
 quòd depinxerit sibi oculos, & alia voluerit
 videri, quam esset; itaque repentè de fene-
 stra iussa est præcipitari. Numquam lepra
 notatus fuisset Giezi, nisi avaritiam suam
 mendacio tegere voluisset. Vnde venis Giezi?
 ait Elisæus. respondet ille: Non inuit seruus
 tuus quoquam. Ob quam falsissimam excu-
 sationem, lepra coopertus est; quam & ad
 posteros transmisit in monumentum dissi-
 mula-*

S Greg.
 in orat.
 de morte
 patris sui.

Ierem. 4.

& 30.

4 Reg. 9.

30.

4. Reg. 5.

25.

maula-

mulationis; pulchrior futurus, si non me-
 lior videri, quàm esse cupiisset. Quis He-
 rodem pediculis, & longè maiore ignomi-
 nia non iudicat dignum, qui fallacissimo
 Matth. 2. corde hospitibus Magis dixit; *Ite, & inter-*
 8. *rogate diligenter de puero: & cum inueneritis,*
renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum!
 Alia mens, alia verba erant. Sicut stannum,
 quod est candidum, sed nigras pingit imagi-
 nes, simulabat hypocrita, se adoraturum,
 quem decreuerat occisurum. Pudefacti sunt
 sæpius etiam Scribæ & Pharisei, quibus
 hoc scelus identidem obiecit Christus. Sed
 maximè ad hanc classem pertinet Iudas, in-
 famis Apostolus, qui amicitiam simulans,
 hostem egit, immò proditorem. Nec censuit
 mitissimus IESVS tantam rei indignitatem
 dissimulandam, sed inconuenientissimam
 Luc. 22. rem opprobrians dixit: *Iuda, osculo Filium*
 49. *hominis tradis?* Hæc hypocrisis laqueo, im-
 mò & inferno digna fuit, & ignominia sem-
 piterna. Quia etsi *abominatio Domini est om-*
 Prou. 3. *nis illusor*, maxima tamen abominatio est is,
 32. qui non solùm hominibus, verùm etiam ipsi
 Deo voluit illudere; quasi scilicet non vi-
 disse, aut sciuisse, quo animo impurum il-
 lud osculum afferret.